DISSERTATIO ACADEMICA
De
JURAMENTIS,
ET QUORUNDAM CIRCA EA SOLENNIUM MORALITATE,

Quam
DEO CLEMENTER JUVANTE,
PRÆSIDE

DN. ANDREA ADAMO HOCHSTETTERO,
S. Theolog. Profeſſore Extraordinario,
Moralium verò Ordinario, h. t. Facultat.
Philoſoph. DECANO.
Patruele Suo Venerando,
Defendet

JOH. ANDREAS HOCHSTETTER,
Stuttgardianus.

IN AULA PHILOSOPHORUM NOVA,
Ad d. 16. Auguſti

TUBINGÆ,
Ex TYPOGRAPHEIO GEORG. HENRICI REISII,
ANNO MDCCII.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

Digitized by Google

SUMMA totius DISSERTATIONIS.

1. *Etymologia & ætas vocum* : JURAMENTUM; & JUSJURANDUM; *ut & nominum, quibus Ebræo, Græco, Germanicoq; ſermone id exprimitur, explicatio.*
2. *Acceditur ad præſens argumentum, & quæ generalis, in genere Morum, ratio ſit ſolennium circa Juramenta adhiberi ſolitorum?*
3. *Ritus Hebræorum antiquiſſimi, Elevatio Manuum.*
4. *Manus ſubter femora poſitio; & tactus aræ.*
5. *Juramentum per nomen DEI. Quid jurare per Anchialum? qui de Iſaaci Voſſii conjectatione ſtatuendum?*
6. *Formula Juramentorum Judæis inter Chriſtianos præſcripta? & quæ earum cauſſa impulſiva?*
7. *Formula Græco-Romana; Hungarica, Hagienſis.*
8. *An Juramento, quod Judæus præſtitit, fides haberi poſſit?*
9. *Solvuntur objectiones. De Reſtrictionibus Jeſuitarum ex Obrechto & Pufendorfio.*
10. *An liceat à Judæo aliove infideli per falſos DEOS juraturo, jusjurandum exigere vel acceptare?*
11. *Quid de Ritu tangendi Evangelia, dum juratur, ſentiendum? Ejus Exempla ex Hiſtoria recenti Guil. III. Angliæ Regis, & Philippi Ducis Andegavenſis; ut & ex hiſtoria veteri, Conſuetudinibus variarum gentium.*
12. *Speciatim quæritur: an à Proteſtantibus adhiberi hæc ceremonia poſſit? & affirmatur contra Donellum.*
13. *An liceat jurare per Evangelium?*
14. *Quid Juramentum? & de ejus oppugnatoribus, Formula Quakerorum in Anglia.*
15. *Ratio ſpecioſa, omiſſis cæteris, contra licentiam Juramentorum producitur.*
16. *Quæſtio: An Juramentum vi extortum debeat ſervari?*
17. *Modus convincendi Reos in ſuppliciis capitalibus* durch das Beſtorbnen *recte fuit abolitus.*

§. I.

VOx Juramenti vix antiquiorem habet auctoritatem quàm Ammiani, Severi, Hieronymi, & æqualium, quorum verba ſecundis curis exhibuit priſcæ Vindex Latinitatis C. Cellarius. Jus verò jurandum apud antiquiores occurrit, dictum velut Jovis jurandum, ut in libello de DEO Socratis obſervat Apulejus; Nec aliter Ennius, Fides alma, inquiens apta pennis, jurandum Jovis. (a) Et Nævius apud Feſtum in Sagmina: Jus ſacratum Jovis jurandum Sagmine. Cujus quidem ea nomenclationis ratio videtur, quod qui jurat, DEUM Voluntatis ſuæ teſtem invocat, & ut DEUS ſit ultor, ac puniat fallentem petat, ad eamque ſe pœnam obliget. Unde hæc Athenienſium juramentum formula fuit, ἴςορες θεοὶ ἔςτων. Horum mihi Dii teſtes & conſcii ſunto. (b) Cœterùm obſervata quidem olim inter juramentum & Jusjurandum diſtinctio fuit, quod illud ſuper re non controverſa, hoc ſuper controverſa interponatur; ſed id diſcrimen à junioribus non attenditur. Græci ὅρκον appellant, ſive ab εἵργω, coërceo, quod Juramentum transgreſſionem coërceat impediatque: Sive, ut Euſtathio videtur, ab ὅρ☉, quod ὁρίζονται τι ὁμολογητικῶς οἱ ὀμνύοντες, quod certis veluti limitibus cancelliſque jurantes conſtringuntur. Ebræis Jusjurandum שבועה vocatur, intricata, ut videtur, origine: niſi quod Luthero viſum à Septenario id nomen traxiſſe, quod in ritibus Juramento adhiberi ſolitis ſeptenarius fuerit ſolennis, & ex ſeptem vaccis jurisjurandi petitionem collegerit Abimelechus, Abrahamo per modeſtiam diſertis id verbis petere non auſo. (c) Germanis jurare ſecundum quosdam dicitur ſchweehren/ eo quod grave in ſe onus ſuſcipiant Jurantes, daß ſie eine ſchwehre/ ja die allerſchwehr.

(a) Cic. off. 3. 29. add. Plaut. Rudonte act. 5. ſc. 2. & Chr. Becmann. Orig. L. Lat. voce: Juro.

(b) Stobæus ſerm. X LI. ubi recenſet Juramentum ab Ephebis Athenienſium præſtari ſolitum. Edit. Tigur. 253.

(c) Conf. ſi placet, Lutherum, ex eoq; Dannhauer. Coll. Decal. ad præcept. 2.

Digitized by Google

ſchwerſte Sache auf ſich nehmen : dum ad ipſum DEI tribunal auguſtiſſimum provocant, & divinæ, ſi feſellerint, gratiæ renunciando, iræ ejusdem & expectandis inde perpetuis cruciatibus ſeſe ſubjiciunt. Vocabulum Eyd / Juramentum quoque denotat, quod an ab Ebræorum עד teſtis, vel teſtimonium, aut à Græcorum ἀΐδης pro ἅδης, infernus, aut à Germanorum Ein / veluti Eindt / dixeris, oriatur? nos equidem non decidimus; qui etiamnum Germanica lingua tàm Græca, quam Latina ſit antiquior, ut à Morhofio Praſchioque deductum eſt, hoc loco non diſputamus.

II.

Ante verò quam ad Juramentorum Naturam, ab aliis fuſè jam expoſitam, accedamus, placet ſolennia ritusque apud Gentes nonnullas, Ebræam præcipuè circa eadem receptos, eorumque Moralitatem paulo accuratius explicare. Quoniam enim in juramentis cum DEO res eſt: & nullum vinculum ad adſtringendam fidem Jurejurando inter mortales arctius habetur; vix ulla unquam gens extitit, quæ non ſingulari cum reverentia adjurandum acceſſerit, ritusque eandem vel corroborantes vel metum adſtantibus imprimentes oſtentaverit. Equidem, ſi quæ apud Nicetam Choniatem de Imperio Manuelis Comneni leguntur, vera ſunt: *(d)* Cæſar perjurii velandi cauſa, remoto metu omni illud Delphici Oraculi in ore habuit:

(d) Lib. VI. add Johan. Teſmar. ad Grot. II, 2.2.

Jura: Mors rapit hos etiam qui fœdera ſervant.

Verum hic fortaſſe cum pauciſſimis eſt, qui regnandi ductus libidine, jurisjurandi religionem contempſit, & in oraculo ſequentia temerè neglexit.

Jurisjurandi ſed filia nominis expers.
Trunca pedum manumque, celerrima ſed tamen inſtat,

Perſequiturque virum, dum ſtirpem funditus omnem
Hauſerit. At ſoboles ſervantis fœdera floret,
Poſt obitum magis in ſeros rediviva nepotes.

Unde nulla ferè gens eſt, quæ non ſanctè reverenterque juramenta habuerit, hancque eorum venerationem quibusdam ſignis ritibusque ſtuduerit repræſentare, vel & aliis ingenerare. Quod de corporalibus, ut ajunt, juramentis intelligimus, non ſcriptis. Quemadmodum Græci diſtinxére τὸ σωματικῶς καὶ τῇ ἀληθείᾳ ὀμνύειν (e) ab eo quod ἐνεγράφη τὸ συμβολαίῳ μόνον, quod inſtrumento ſaltem inſcriptum erat juramentum.

(e) Baſilc. lib. X. Tit. 25.§.3. Seld. de Synedr. II. 2. 483.

III.

Placet ab Hebræorum circa hoc argumentum inſtitutis moribusque ordiri, quorum juramenta vel elevatis cœlum verſus aut depoſitis ſub femora manibus vel coram altari, eodemque, ceu plerisque aliis gentibus, tacto, fieri conſueverunt. Priorem ritum patrio forſan & antiquiſſimo more acceptum, juratam apud Regem Sodomæum fidem interpoſiturus Ebraicæ ſator & Parens nationis Abrahamus adhibuit; Elevo, inquiens, manus meas ad Dominum, DEUM excelſiſſimum, qui cœlum terramque poſſidet. Gen. XIV, 22. Dan. Col. XII, 7. Apoc. X, 5. 6. Quæ ratio ad Chriſtianos quoque manavit. Vetuſtum eſt Athanaſii ad Conſtantium Cæſarem Exemplum: Καὶ τὴν χεῖρα ἐκτείνας, ὃ μεμάθηκα παρὰ τοῦ ἀποστόλου, μάρτυρα τὸν θεὸν ἐπικαλοῦμαι. Et manum, *inquientis*, extendens, quod didici ab Apoſtolo, DEUM teſtem invoco. Neque noſtra penitus ætate exolevit, ubi erectis alicubi duobus, alibi tribus etiam prioribus digitis jusjurandum ſolenniter præſtatur; non quidem ut myſterium aut ſingulari ea conſuetudine efficacia quæratur, ſed ut manifeſtum omnibus vel hoc ſymbolo fiat, ſummum omniſciumq; Numen tanquam Veritatis Teſtem & Falſi Ultorem invocari.

Apolog. ad Conſtantium Tom. I. pag. 674.

Nulla

Nulla hic ſuperſtitio, ſed geſtus jurantis ſimplex, ac innocens: idoneus tamen, qui de pietate animi apud alios teſtetur, & quò cum in juramento res negotiumque ſit, luculenter oſtendat. Cœterum, quod variis contigiſſe Ceremoniis, temporum imprimis tractu uſuque Majorum venerabilibus, conſtat, ut in ſuperſtitionis prætextum ſumerentur; ſic ineptè licentiam juramentorum per Cœlum ἐν τῷ οὐρανῷ, concepturum, Judæi deduxiſſe exinde videntur; Quæ ſicut naturæ jurisjurandi repugnant, ab ipſoque Servatore damnata publicè graviterque ſunt: ita perperàm in Judæorum ſcriptis repetuntur & ſufficientibus argumentis, ceu quidem eruditiſſime Cunæo (*f*) viſum, defendi non poſſunt. Qui tametſi eosdem vocabulo Cœli metonymicè ac impropriè uſos fuiſſe, & ipſum Cœli Dominum, qui DEUS eſt, intellexiſſe contendat; nos equidem uſum vocis, etiam in Sacris alibique eô ſenſu obvium non negamus, majorem tamen CHRISTO reverentiam debemus, qui Cœlum propriè ſic dictum intelligi docet, illudque ceu thronum, in eo ſedenti, contradiſtinguit.

(*f*) Petr. Cun. de Republ. Hebr. III, 6.

IV.

De altero ritu ejusdem Abrahami exemplum eſt: qui ſervum Uxorem Iſaaco quærendam iturum allocutus, pone, inquiebat, manum tuam ſubter femur meum, & adjurabo te per Dominum DEUM Cœli & DEUM terræ Gen. XXIV, 3. Cujus quidem ſublimis adeò videtur quibusdam ratio, ut prodituum è femore Abrahami Meſſiam deſignatum eſſe autument. Flavius certè ΜΕΓΑΛΑΣ ΠΙΣΤΕΙΣ, magna fidei Sacramenta appellat, quorum hic modus fuerat: ὑπὸ τοὺς μηροὺς ἀλλήλων τὰς χεῖρας ἐπαγαγόντες ἐπικαλοῦνται τὸν Θεὸν μάρτυρα τῶν ἐσομένων, ut manum uterque invicem ſub femora mitteret, ac DEUM eorum, quæ futura eſſent, teſtem invocaret.

Cœte-

(g) Joseph. Archæol. I. 16. (g) Cœterum apud Indos his mos homagii quoddam Symbolum extitit, ubi elevato Domini femore, manuque ſervi aut filii eidem ſuppoſita nihil hi aliud ſignificârunt, quàm ſe debitam ei ſubjectionem profiteri, & commiſſa ſibi muniera ſedulò fideliterque executuros. Forſan ad enſem quoque, cujus ad femur locus eſt, alluſum fuit, apud Gentes ſaltem animoſiores: quaſi dicerent, ſi fallam, Enſe tuo peream. (h) Tertii moris veritatem Salomo ſuggerit, qui juramenta coràm altari præſtitum iri longa oratione commemorat. (i) Ratio ex loci reverentia manifeſta eſt, & plerarumque gentium ea conſuetudo fuit, tacto altari jurare. Sumtis in manus altaribus, eſt apud Juſtinum (k) & in Plauti Rudente: G. Tange aram hanc, veneris. L. Tango. G. per eam jurandum eſt tibi. Martialis:

(h) add. Grot. ad Gen. XXIV, 3.

(i) 1. Reg. VIII, 8.

(k) L. 24.

Hunc puer ad Libycas juraverat Annibal aras. (l)

(l) add. Grot. 1. Reg. VIII. 27.

V.

Ipſum verò ſolenne apud Hebræos juramentum per ſanctiſſimum DEI Nomen concipi debuit; cujus rei exemplum, præter allegata, in fœdere à Principibus Iſraëlis cum Gibeonitis inito occurrit, quod ביהוה אלהי ישראל per Dominum DEUM Iſraël præſtitum eſſe legimus. Et ajunt Magiſtri, præceptum eſſe affirmativum, ut cuicunque præſtandum fuerit in foro juramentum, is juret per nomen DEI; (m) & quidem Θεοῦ τοῦ ζῶντος, Matth. XXVI, 63. ſeu ſtylo Ebræorum per חי אלה chi allah viventem DEUM. Quod Martialem ex Judæorum formulis in Anchialum transtuliſſe cenſuit Scaliger ex eoque P. Scriverius, Gerh. Voſſius, & Dionyſius Filius. Notus eſt Poëtæ ad Judæum locus:

(m) Maimonid. tractat. de Juram. c. XI, 1. & Seld. de Synedr. II, 11. p. 456.

Ecce negas, juraſque mihi per templa tonantis:
Non credo. Jura, Verpe, per *Anchialum*.

Voluit

Voluit Martialis, ut, ſi fieri poſſet, non falleret, eum ita jurare, ut per Numen ipſum ſuum expreſſius juraret: Jura, verpe, per ANCHIALUM. Inde Anchialum Romanâ pronunciatione Judæorum DEUM ac Numen ſanctiſſimum dictum fuiſſe pleriq; exiſtimant. Quibusdam aptior derivatio ab אין חי עליון Non: (hoc feci, quàm verè vivit DEUS excelſus.) Sed de his obiter. Viderint artis Criticæ periti, quantum fidei Iſaaco Voſſio (n) tribuendum ſit, cui ſpreta Parentis Fratrisque ſententia Anchialus nihil minus quàm Hebraica vox eſt, ſed, neſcio cujus antiquiſſimi Codicis Exemplo (ſolet enim ad vetuſtiſſimos paſſim Codices provocare, etſi Anglis Batavisque dolentibus paucos reliquerit, Ancharium legendùm eſſe decernit: Quo nomine Lucilius aſinum ſignificârit. Non autem ignotum è Petronio eſſe, malè Judæos audiiſſe, quaſi porcinum Numen, & cilli, (aſini,) auricolas adorent. Saltem id expeditum adeò non eſſe videtur, quòd Hebræorum Nomina Romanis, in quorum concionibus flagrans haud raró erat Judæorum multitudo, non patuiſſe arbitratur. Expendant, conferantque, quibus volupe eſt, Punicum Plauti verſum:

(n) ad Melam. conſul. etiam Dn. Cellar. in Anchilaus.

Ut halonim vua lonuth ſichoratiſima comſyth. (o)

(o) add. Ant. Byndus, de Natali Servat. p. 102.

VI.

Perſpecta multis Exemplis Judæorum perfidia, operæ pretium Chriſtianis Principibus viſum eſt, juraturos, quos ſuas in provincias receperant, Judæos arctioribus formulis conſtringere. Prodigioſum ejus rei exemplum eſt in jure Græco Romano, ubi Judæus in forenſi negotio adjurandus, rubo cingendus fuit, & καβαλικεύειν τὸν ἀσκὸν καὶ ἐμβαίνειν εἰς θάλασσαν καὶ πλύειν τὴν περιτομὴν αὐτοῦ τρίτον culleo ſeu utri inſidere, & mare ingredi debuit, ac circumciſionem ſuam ter conſpicere, ac dein jurare. (p) Μὰ τὸν Βαρεσὴ, Βαρεχᾶ, Ἀδωναὶ, Ἐλωὶ τὸν διαπερέσαντα τὸν ἰσραὴλ

(p) conf. Selden. de Sy-

Ezdr. I. 11. c. XI. …ν θάλασσαν τὴν μεγάλην ἀβρόχως, &c. μὰ τὸν νόμον ὃν δέδωκεν Ἀδωναὶ, καὶ τὸν ἐμπλυσμὸν τοῦ σώματος τῆς περιτομῆς καὶ τὸν βάτον ὃν τῇ ἐμπροσθεν ὀσφύϊ περιζώννυμαι οὐκ ἐπὶ ψεύδους ὀμνύω, τὸ ὄνομα Κυρίου Σαβαώθ. Εἰ δὲ ἐπὶ ψεύδους ὀμνύω, ἐπικατάρατα τὰ ἔκγονα τῆς κοιλίας μου· ψηλαφήσω ὡς ὁ τυφλὸς τοῖχον, καὶ ὅς μὴ ὑπάρχων ἔχων ὀφθαλμοὺς, πεσοῦμαι. Σὺν τούτοις πᾶσιν ἀνοιξάτω ἡ γῆ τὸ στόμα αὐτῆς καὶ καταπινέτω με, ὡς Δαθὰν καὶ Ἀβειρών. Per *Barahe, Baraa* (forte, ut advertit Seldenus, depravatum ex בורא השמים והארץ Creatorem cœli & terræ) *Adonai*, *Eloi*, qui traduxit ſiccis pedibus Iſraëlem per mare rubrum. Per eam legem quam *Adonai* dedit, & actum conſpuendi circumciſionem corporis mei, & rubum quo cinguntur lumbi mei; non falſo aut mentiendo jure nomen Domini Sabaoth. Sed ſi falſo juro, execrandi ſint poſteri mei ventris: more cœci parietem palpando quæram, & inſtar ejus, qui oculos non habet, cadam. Cum hiſce omnibus tellus aperiat os ſuum, *me q; abſorbeat ut Dathan* & *Abiron*. Ad hanc ſcilicet duritiem fraudulentæ gentis perverſitas Chriſtianos compulit. Non inconcinna formula eſt, quæ ex Ordinatione Camerali allegatur, ubi tamen verba Legis Deut. V, 11. ſic ſcribenda cenſet Wagenſeilius: Lo ſiſſo es ſchem Adonai Elohecho Laſchof. Ki לא jenakke Adonai es eſcher jiſſo es ſchemo Laſchof; qua *correctione* ſi formula deſtituatur, timendum eſſe ait, Judæum in verba, prout nunc quidem poſita ſunt, jurantem facilè ad perjurium commoveri poſſe. Dum *nimirum* credat, verba latinis adducta verbis nihil planè ſignificare, adeoq; *neminem* obligare. In Hungaria Judæus juramentum præſtiturus, contra ſolem verti, nudipesque ſtare tenetur, chlamyde palleove indutus, & pileum Judaicum ſuo in capite habens, ac ſua denique manu volumen *Moſaicæ Legis tangens.* Formula quam recitare tenetur, dira eſt; hisque concepta verbis: *Ego Judæus juro per DEUM vivum, per DEUM Sanctum, per DEUM omnipotentem, qui fecit Cælum & Terram, mare &*

omnia

omnia, quæ in eis ſunt, quod in hac cauſa, qua me hic Chriſtianus inculpat, innocens ſum penitus, & immunis. Et ſi reus ſum, terra me abſorbeat, quæ Datham & Abiram abſorpſit: Et ſi reus ſum, paralyſis & lepra me invadat, quæ precibus Eliſai Naaman Syrum, & puerum Eliſai invaſit. Et ſi reus ſum, caducus morbus, fluxus ſanguinis & gutta repentina me tangat, mors ſubitanea me rapiat, dispereamq; in corpore & anima, & rebus meis, & in ſinum Abrahæ nunquam perveniam. Et ſi reus ſum, Lex Moiſis, in monte Sinai data me deleat, & omnis Scriptura, quæ in V. libris Moſis ſcripta eſt, me confundat. Et ſi iſtud Juramentum meum, non eſt verum & juſtum, deleat me Adonai & ſuæ Deitatis providentia, Amen. (q) Diræ, fateor, ac horrendæ imprecationes, quibus tamen, *quoad Rem*, quivis perjurus ſubjicitur. Quales etiam, ſed generalius, exprimit Formula Judæis in Belgio præſcripta, quæ ad Januam Collegii Senatus Hollandiæ Hagæ Comitiis deſcripta conſpicitur, cujus initium ac ſummam huc ponemus: *Ghy ſvart by den almächtigen ende lebendigen God, die Himel ende Erde geſchafen heft, ende door Moſen ſyne Wetten gegefen: &c.* Et ſub finem addit Judæus, ſi in eo, quod juraverit, ulla ratione fefellerit, aliterque ac juſſus eſſet, fecerit, vel reſponderit, ſe ipſo facto obligari ad ſuſtinendum plagas omnes ac maledictiones, quæ in Libris Moſis, Levitico maximè & Deuteronomio præſcriptæ ſunt in omnes irreligioſos, & quicquid eſt malorum hominum.

(q) vid. Joh. Limnæ. J. P. III, 2. 29. & noviſſ. Dn. Ludovici de Juramẽtor. ſoleñibus. cap. 2. §. 28.

VII.

An fides ejusmodi juramento, quod Judæus hiſce cum ſolennibus præſtitit, haberi poſſit? dubitant non pauci. Primùm enim notos eſſe ajunt mores Verporum, quodque nulla Gens facilius irritet ſolvatque juramenta. Namque unius id ſapientis vel trium plebejorum judicio indulgeri. Deinde habere illos in more poſitum, recitare Orationem prolixam, quam ab initia-

libus vocabulis כל נדרי COL NIDRE vocant, in qua retractent vota & juramenta. Verba ejus formulæ ex Manuſcripto Norimbergenſi & Pyrbaumenſi exhibuiſſe celeberrimum *Johannem Wülfferum*, Prof. ac Eccleſiaſtem Noricum, eruditis ad Theriacam Judaicam Salomonis Zevi animadverſionibus: cujus huc „ redeat ſenſus: Omnia Vota & obligationes & execrationes, „ & mulctæ, & cognomina eorum & juramenta, quæ vovebi„ mus, jurabimus, conſecrabimus, aut quorum cauſa nos obliga„ bimus juramentis, à die hoc expiationis futurum, qui feliciter nobis illuceſcat, & quorum nos pœnitebit, ſint ſoluta, remiſſa, ſublata, abolita, & nulla: nec firma, nec valida. Votum noſtrum non ſit Votum: Obligatio noſtra non ſit Obligatio: & juramentum noſtrum non ſit juramentum. Sed ad *primum* quidem reſpondit Doctiſſimus Wülfferus, illam ſolutionem non alia quàm futilia juramenta pertinere. Quod & idoneis Magiſtrorum teſtimoniis firmari poſſet. *Ad alterum* pridem ipſo reſpondit facto Buxtorfius, qui in prima editione latina Synagogæ Judaicæ poſt ejus formulæ recitationem ſcripſerat: Obſerva, quanti Judæi jusjurandum, præſertim Chriſtiano datum, ſit faciendum. Sed in auctiore ejus libri editione cap. 26. addit: ob hanc votorum & juramentorum ſolutionem & abolitionem malè audiunt Judæi, quaſi juramentis illorum, quæ Chriſtianis faciunt, nulla fides ſit habenda; Et in ſequentibus eos ab hac ſuſpicione abſolvit.

VIII.

Sed inſtant: Judæos æquivocationibus uti, & mentales approbare reſervationes. Igitur nullam eorum jurijurando fidem haberi poſſe. Referri etiam juramenta Chriſtianis præſtita inter coacta. Jam coacta juramenta ſecundùm ipſorum placita non eſſe obligatoria. Sed ſi prius concluderet, ne *Scholaſticis*

quidem

quidem ac Jeſuitis plurimis jurantibus fides haberi poſſet:
namque & hos Reſervationibus uti; Exemplum ejus rei de Je-
ſuitis allegavit Ulricus Obrechtus, dum adhuc noſter eſſet, ob-
ſervat: ad Grótium. (*r*) Nemo neſcit, *inquiens*, quid hoc in "
genere faciant Jeſuitæ, quibus retentiones mentales & inter- "
pretationes tacitæ communes ſunt. Sic ſi quæras ex aliquo: "
An hanc illamvè rem habeat? isque reſpondeat, ſe non ha- "
bere, tametſi habeat: ajunt, non eſſe mendacium; quippe ita "
exponendum, non habeo, ut dem tibi. Sic ſi quæratur, ſcisné "
hanc rem? Isque ſciat, reſpondeat verò, ſe neſcire: Non "
eſſe mendacium, quoniam ſenſus ejus reſponſi ſit: Neſcio, ſcil. "
ut tibi dicam. Nimis, pergit, impudentes ſunt. — Alſo auch "
wann es verbotten wäre/ niemand aus einem Ort/ welches von "
der Peſt inficirt iſt/ in die Stadt zu laſſen/ und käme von einem "
ſolchen Ort einer von den Herren Patribus ans Thor/ und man "
begehrte/ er ſolle mit einem Eyd confirmiren/ daß er von keinem "
ſolchem Ort komme/ ſtatim ille jurabit; Nam dicunt ſenſum
eſſe, non ita, quod non veniat à Loco infecto, ſed ita, non venio
à Loco infecto, ſcilicet, ut ego infectus ſim. Expertus iſtarum
fraudum vim eſt Fridericus Guilielmus Magnus, Elector Bran-
denburgicus, cui moleſtiſſima fuit impudentia concionatoris
Jeſuitæ Karbathi, Regi Poloniarum à confeſſionibus; qui hunc
pro ſuggeſtu hortari non dubitaverat, ne pacta cum Electore
inita ſervaret, cum in proclivi ſit, IPSUM JURISJU-
RANDI Vinculo EXSOLVERE, quo pacta iſta firmaverit.
Qua de re Elector apud Regem conqueſtus eſt; *Principes Ro-
manis ritibus addictos omnem fidem decoxiſſe, ſi iſtis hominibus,
QUEIS RELIGIO IN QUÆSTU EST, ſanctiſſimum ge-
neris humani vinculum pro lubitu diſſolvendi facultas indul-
geatur.* (*s*) Sed præterquam, quòd in juramentis totius Ora-
tionis ſenſus, prout capere ſe illum profitetur is, qui juramen-
tum

(*r*) III, 1. 17. Edit. Telmar. annex.

(*s*) Pufend. Rer. Brand. VII, 50.

Digitized by Google

tum defert, ſeu, cui juratur, teneri debet; eſt & alia Magiſtratui via, quâ Luſibus iſtis venire obviam poſſit. Si nimirum receptum olim in foro Judaico morem ſequatur dicatque: Non ex tua, ſed noſtra ſententia Te adjuramus. Quod etiam quibusdam juramentorum formulis, in foro Chriſtianorum recitandis paſſim inſertum eſt. Sed & hoc facilè repræſentari Verpis poterit, juramenta Chriſtianis præſtita non eſſe coacta. Nec illi diffitentur ipſi, eadem exigendi poteſtatem etiam Chriſtianis Imperiis eſſe.

IX.

An jusjurandum à Judæo exigere licitum ſit? adeoque an & ab infidelibus, barbaris, per falſos Deos juraturis expoſci fides jurata queat? Vexata in moralibus quæſtio eſt. De *acceptatione* quidem res dubio carere, ſed exactio difficilius admitti poſſe videtur. Inclinant tamen in affirmativam plerique Doctorum cum veterum, tum recentiorum: his præcipuè ducti rationibus; quòd *primò* nullum ſit jurejurando arctius vinculum, quo civiles inter ſe Societates colligentur, neque niſi Judæorum aut infidelium confirmatas jurejurando aſſertiones exigere liceret, cum iisdem vita civiliter ſocialis haberi poſſet. Quia *ſecundò* religio imperari non poſſit, & fruſtrà quis adigatur jurare per Deum, quem non credit, adeoque nec metuit. Igitur formulam juramenti accommodandam eſſe ad perſuaſionem, quam circa religionem fovet, qui jurat. Quia *tertiò*, non juramentum per falſos Deos ut tale, ſed fides firmiſſimè roborata exigatur. Quorſum referunt eximium Auguſtini locum; (*r*) qui, *inquientis*, utitur fide illius, quem conſtat juràſſe per Deos falſos, utitur non ad malam rem, ſed ad licitam & bonam. Non peccato ejus ſe ſociat, quo per Dæmonium juravit, ſed bono pacto ejus, quo fidem ſervavit. E quibus *acutiſſimi Viri* verbis hæc apud Moraliſtas extruitur Regula: Quotiescunque id, quod petitur,

(*r*) Auguſt. Epiſt. CLV. ad Publicolam.

petitur, tum juſtè fieri poteſt, tum ob honeſtum finem petitur; quanquam ſcias, alterum perperam facturum, licet tuo tibi jure uti. Sic licere ajunt mutuo pecuniam accipere ab iniquo uſurario, etiam qui binis centeſimis fœneratur. Quod quidem grande nefas eſt, fœneratoris, non accipientis; quippe qui id tantùm petit, quod abſque enormi fœneratione præſtari poſſet. (u) Nec deſunt è ſacris præſidia, in Exemplis patris credentium, ejusque nepotis Jacobi; quorum ille ab Abimelecho, hic à Socero juramentum per Deos fictitios factum non recuſavit. Non, inquam, recuſavit: maluiſſet enim uterque rectius jurari; Interim admiſit exigendo fidem juratam, cujus vitium non in deferente, ſed præſtante fuit.

(u) Uffelm. de Jure quo homo homini in Sermone obligatur. c. IX. §. 18.

X.

Obverti tamen non ſine ſpecie poteſt, vel abſurdè vel impiè ejusmodi juramenta exigi aut acceptari. Si enim juramentum per Deos fictitios non eſt verum juramentum, ut plerique Moraliſtarum fatentur: igitur nullam habebit vim; aut ſaltim non ſtringet arctius, quàm nuda ſimplexque promiſſio. Prius manifeſtum eſt, quia juramentum eſt invocatio Divini Numinis, Atqui illa atteſtatio per Deos non eſt invocatio Divini Numinis, quia in falſis Diis aut Creaturis nihil eſt Numinis; Certè non plus quàm in Polyphemo aut Chimæra. Ergò id juramentum non erit obligatorium, per conſequens abſurdè exigetur, aut acceptabitur. *Secundò* regeritur: Juramentum ejusmodi per ſe ac intrinſecè malum eſſe. Igitur nullo caſu licere, quem ad id inducere. *Porrò*: ſi recipiamus juramentum per idola præſtitum, videri ſaltim tacitè à nobis approbari cultum jurantis idololatricum; Imò videri, ipſam jurantis religionem pro vera habere, quippe cujus præcipuum actum vel exigamus, vel pro valido agnoſcamus. Sed ad *primum* reſpondeo, non me negare nullitatem ejus juramenti: Interim conſequentiam, quæ exinde nectitur, eſſe imbecillem. Nam licet obligatio non oriatur

tur ex pacto, naſcitur tamen ex dictamine Conſcientiæ, *tametſi erronea*. Qui enim jurat, falſum, per quem jurat, Deum pro vero habet. Igitur qui jurat Deo, ſua è conſcientia vero, is obligatur. Quemadmodum qui contra conſcientiam, ſi non veram, creditam tamen ſive habitam pro vera, agit. Ergo Conſcientiam illiusque Rectorem, quantum in ſe eſt, contemnit & conſequenter peccat. Quo ſenſu Auguſtinus dixit: perjurum eſſe etiam qui ſuper lapidem jurat, id eſt, qui falſum ad Jovem lapidem jurat. (w) Ad *alterum* quod excipitur, jam ſuperius indicata reſponſio eſt. Id enim juramentum exigit, acceptatvé, non vitium ei annexum, ſed ipſum juramentum intendit. Cæterum neceſſitas jusjurandum accipi jubet, quale haberi poteſt; ut non injuria tritum illud Comici referre huc poſſis: quoniam id fieri, quod vis, non poteſt, velis id, quod poſſit. Sanè ſi quis Gentilem induceret ad juramentum per Numina ficta: ſi juramentum iſto ſub Formali exigeret, à peccato utique immunis non eſſet; ſed qui juramentum ſaltim petit, idque *ut ſic*, & vinculum per ſe honeſtum fortiùs arctiusque homines conſtringens, peccati ea-propter non eſt reus. (x) Quare, quicquid heîc regeritur, ſi multum probat, non aliud evincit, quam non licere inducere ad juramentum per Deaſtros, ut TALE; non autem non licere illo uti, vel non poſſe peti ſub GENERALI NOTIONE JURAMENTI. Ad *tertium* ſimilis ferè reſponſio occurrit. Fidem & juramentum abſolutè dicimus exigi à Jurante. Cæterùm quod ſuo ex præjudicio jusjurandum per falſa, quæ is pro veris habet, ſacra fieri credit, id nec menti noſtræ ortum debet, nec ipſi juramento *qua tale* ab ipſo expetito, ſed proprio errori. Cæterùm nil heic temerè ſtatuendum; Et multum circa formulam Judæis præcipuè præſcribendam prudentiæ Judicis relinquitur,

(w) Add. D. Thummiū de Juram. & Dn. D. Jäger, de Juram. art. 3. q. 2. p. 159. ſeq. conf. Grot. de Jur. B. & P. II. 13, 12.

(x) Confer. B. D. Oſiander Theolog. Caſual Part. II. pag. 1050. ſeq.

XI. Satis

XI.

Satis, opinor, nos diu Judæorum juramenta detinuerunt. Properemus ad aliorum Populorum ſolennia, ſed ob chartæ temporisque anguſtiam, paulo conciſius. Græcorum Romanorumque Ritus, ſi alios prætereamus, erudite collegerunt, explicaruntque Alexander ab Alexandro, & Petrus Gregorius Tholoſanus illuſtri Syntagmate; (y) quos perinde non exſcribemus. (y) L. V. c. 7. 8. Receptum apud plerasque gentes eſt, ut juramentorum ſolennitas TACTIS SACRO-SANCTIS EVANGELIIS peragatur. Hic in Hiſtoria Guilielmi III. Herois incomparabilis, Magnæ Britanniæ Regis, memoratur, eum, cùm coronam Angliam ſuſciperet, genubus flexis, & impoſita SANCTO EVANGELIO Manu ſuâ, juramentum pro tuenda Eccleſia Anglicana ejusque juribus, adſpectando populo præſtitiſſe. Eundem ritum de Duce Andegavenſi Philippo Chriſtianiſſimi, Regis nepote Barcellonâ retulére novellæ. d. XV. Jan. 1702. *Leurs Majeſtés s' étant aſſiſes ſur un grand Dais, qu' on nomme Lo Soglio, le Roy mit la main droitd ſur la Croix, & la gauche ſur l' Evangile, & fut ſerment de garder ſes nouvelles conſtitutions, & les Privileges, qu' 'il a accordé cette Principaute.* (z) Ac ſolet iſta Evangeliorum tactio maximè in inveſtituris feudalibus in aula Cæſarea obſervari. Sunt & in Imperio Romano-Germanico loca, ubi eadem à Proteſtantibus attenditur. Teſtari de eo ritu integrum Angliæ Regnum poteſt, ubi is in viridi, quod ajunt, obſervantia uſuque eſt. In ſpecie autem ibidem Evangelium Johannis apertum jurantibus tangendum oſculandumque præbetur; quod in creatione Doctorum ac Magiſtrorum, ut & in aliis juramentis à Studioſis Oxonii præſtandis ſæpiùs ab ſe obſervatum eſſe ſcribit in erudito de JURE SENSUUM Opere Samuel Strykius. (a) Quod & in iis qui in Bibliothecæ Bodleianæ uſu gaudére cupiunt, hodiè obſervatur.

(z) Conf. denuo Dn. Ludov. de Solēn. Juram. c. 1. §. 19.

(a) Diſſert. V. de TACTU. c. 1. Num. 27.

XII.

Num iſte tactis Evangeliis jurandi ritus conſervari jure inter Proteſtantes poſſit ? quæſitum fuit : poſtquam imprimis Hugo Donellus (*b*) tactum Evangeliorum ex ignoratione verbi divini introductum eſſe exiſtimavit , & variis contra eum argumentis pugnavit. Nos exiſtimamus, læta hilarique conſcientia hunc ritum ſervari poſſe nihil enim ille, quùm introduceretur, aliud erat, quàm Symbolum quoddam ac memoriale, quo ipſo in mentem revocabatur jurantibus, quantum crimen committant pejerando ; quodque eo ipſo ſe, ſi falſa prolaturi eſſent , comprehenſis in Sacro Codice pœnis omnibus ſubjiciant. Ac majoris inſimul perfidiæ reputabatur, cum is juramento contraveniſſet, qui non ſermone tantùm , ſed & actu corporali Deum teſtem invocaverat. Nihil igitur hæc ceremonia involvit abſurditatis, nihil quod ſcitis Chriſtianæ religionis repugnet. Ac tametſi nec ritibus ejusmodi adhibitis perjurium ſemper evitetur, cùm dari conſtet,

qui in fortunæ jam caſibus omnia ponunt,
atque ideò intrepidi quæcunque altaria tangunt ;

Id tamen ritus omnes non tollit ; quoniam ſi in malitia quorundam ferendum judicium eſſet , extirpandum è genere humano omne foret genus juramenti. Igitur nulla ratio eſt, quæ Proteſtantibus addictos Sacris Electores abſterreat , quò minùs Evangelium (*c*) Johannis corporaliter manibus ſuis tangant , eoque ritu juramentum ante Electionem Imperatoris præſtent.

(*b*) Libr. 11. c. 13. lit. B. qui in edit. de A. M. D. CXIII. Antverpiæ apud Petrum Bellerum proſtât propterea inter Authores damnatos refertur.

(*c*) Ex præſcripto Aureæ Bullæ C. II. ab init. ex edic. Excell. Dn. D. Schwederi , & in Differt. III. p. 60.

XIII.

An abſque Scrupulo Conſcientiæ formula jurandi per Sanctum Evangelium retineatur ? acriter diſputatur. Sunt qui eandem velut reliquias Papæas damnent, & Scripturæ contrarias proclament. Sed illam hactenus retinuerunt Proteſtantes Electores, hoc fere tenore , ante Imperatoris Electionem inde ab

Anno

Digitized by Google

Anno MDXLII. jurantes: ITA ME DEUS JUVET, ac SANCTUM EJUS Evangelium. Non opus eſſe arbitror, ad Verbum hypoſtaticum confugere; cùm ſenſus eſſe poſſit: Ita me Deus adjuvet, per promiſſiones in Evangelio mihi revelatas. Quaſi jurans beneficiis in eo memoratis oblatisque renunciet, ſi juramento non ſtatuerit, ac viciſſim obteſtetur ſe vera adeò dicere, quemadmodum vera eſſe credat, quæ in Evangelio continentur. Quam noſtri Formulam in Paſſavienſi quoque Tractatione admiſêre, & cordati Theologi Rerumque Politicarum periti dextrè explicari poſſe profitentur. (d)

XIV.

Viſis ita expenſisque nonnullis juramentorum ſolennibus, quæ ipſam juramentorum nunc ſubſtantiam concernunt, pauciſſima ſeligemus. Eſt autem juramentum nihil aliud, quàm aſſertio religioſa, ſive deliberata Numinis divini tanquam teſtis Vindicisque, ſive Judicis invocatio, in aſſertionis aut promiſſionis confirmationem. Differt à *Voto*, quod eſt obligatio ſponte acceſſita adverſus Deum de objecto eidem grato. Quale quidem à Chriſtiano homine fieri poſſe, dubium non eſt, licèt aliter ſenſiſſe videatur, contra Scmytteum P. Martyr. (e) De jure juramentorum & num naturali Lege licita ſint, diſputare non attinet. Equidem præter Eſſæos, Baſilii quoque, Chryſoſtomi, Theophylacti, Hieronymi, aliorumque quorundam Veterum negantem ſententiam fuiſſe, ſuis ipſorum verbis probare contendit Ger. Joh. Voſſius. (f) Imputatus etiam hic error Waldenſibus fuit, (g) quaſi jusjurandum omne improbârint. Verùm Seiſellius, acerrimus eorundem hoſtis, hac in re eos purgat; in reliquis, *inquiens*, fermè puriorem quàm cæteri Chriſtiani vitam agunt; non enim niſi coacti (hoc eſt Magiſtratu juſſi) jurant, raroque Nomen Dei in vanum proferunt. At hodiè Anabaptiſtas, in iisque Mennonitas, compluresque Socinianos ita ſentire,

(d) Add. præter alios B. Dannhauer, Coll. Decal. addat. Dn. D. Schwed. Introd. in Jus publ. P. Spec. Sect. I. c. 2. p. 234. Stryk. de Jure ſenſuum. Diſſert. VII. C. I. §. 17. Dn. Thomas Jprud. Div. II, p. 102.

(e) Add. Calov. ad Deut. XXIII, 21. & Pufend. de J. N. & G. III, 6. 15.

(f) Hiſt. Pelag. lib. V. P. II. add. Ußelm. p. 107. d. l.

(g) Ab Alphōſo à Caſtro, & Guidone Carmelita, aliisque.

ſentire, manifeſtum eſt. Quakeros referunt nonnulli hac formulâ uti in Angliâ: *Adfirmo verè, ut in conſpectu DEI.* (*h*) Sed præterquàm quòd multa juramentorum in Sacris Exempla proſtent, ac laudentur, imò jurare Deo jubeamur: Affirmantem vel ex eo, firmam eſſe cenſeo, quod ad Gloriam Numinis, & magnum vitæ Socialis atque Civilis bonum juramenta exigantur, atque præſtentur. Præprimîs, quod, uti eleganter ait ſcriptor divinus, (*i*) omnis controverſiæ hominum finis eſt juramentum. Quod probè intellexit Cicero (*k*) quis non, *inquiens*, intelligat, quam multa firmentur jurejurando? quantæ ſalutis ſint fœdera religionis? quam multos divini ſupplicii metus à ſcelere revocarit, quamque ſancta ſit ſocietas Civium inter ipſos, Deo immortali interpoſito, tùm Iudice, tùm teſte?

(*h*) Huber. de Jure Civil. ſect. 2. c. 4. §. 16.

(*i*) Hebr. VI. 16.

(*k*) De Leg. II. 182. edit. Camer.

XV.

Contra tamen facere videtur, quod Majeſtati Divinæ non conveniat Deum rebus humanis, iisque levis plerumque momenti teſtem adhibere. Quis Principum, ſubditos teſtimonium ſuum in rebus privatis implorantes ferat? Multò igitur minùs conveniens videtur Divinam Majeſtatem ad humana negotia, pacta, resque levis aut nullius momenti, (quid enim aliud ſunt res humanæ cum Deo comparatæ?) adducere, eamque profanis hominum verbis negotiisque miſcere. Sed ut huic dubio ſatis fiat, animadvertendum ante omnia eſt, ad juramentum, ſicut veritatem ac Juſtitiam, ſic & NECESSITATEM requiri. Itaque non adhibendum eſſe ipſi fatemur, niſi ob fidei humanæ defectum, & exigente ſocietatum neceſſitate. Secundò, nec niſi ſumma cum reverentia ad jurandum accedendum; neque adeò in leviculis, ſed majoris momenti rebus eſſe adhibendum. Quo caſu eſt religioſa Dei, tanquam omniſcii, ipſosque cordis intimos receſſus penetrantis Numinis invocatio, atque, ut Moraliſtæ loquuntur, infinitarum in Deo Perfectionum devota humi-

limaque

limaque agnitio. Si Principi omnes Civium actiones perſpectæ eſſent, quis ei injuriam fieri diceret, ſi ejus teſtimonium imploraretur? Eſſet hæc ſanè ſumma Principis Veneratio, & magna pars officii probè compoſito Civi incumbentis ad Principem velut omnis controverſiæ, pacem tranquillitatemque perturbantis, terminatorem recurrere. Jam cùm ob humanæ conditionis imbecillitatem impoſſibile ſit, ut ad unius civitatis negotia immediatè obeunda unus Princeps ſufficiat, multò minùs res actionesque civium externas perſpiciat; In dubiis denique ſola cognitio divino tribunali relicta ſit; contra ſummam, quam Deo debemus, reverentiam utique pugnaret, juramentorum uſum è genere mortalium proſcribere. Pulcrè Ambroſius ad Valentinianum Imperatorrem: Quid eſt, inquit, jurare, niſi ejus, quem teſtare FIDEI TUÆ PRÆSULEM, divinam potentiam confiteri?

XVI.

Quæſtio eſt, utramque in partem ventilata; An juramentum vi extortum obliget, ac ſi de materia ſit capaci, ſervari debeat? Affirmantem tenet Grotius, quod in jure jurando non ſola, cui juratur perſona, reſpiciatur, ſed IS, CUI JURATUR, DEUS. Itaque, quoniam cum Deo negotium intercedit, cujus nomen in vanum ſumi non debeat, quemque ne falſitatis teſtem faciamus, naturaliter prohibeamur, hoc momentum ad pariendam obligationem ſufficere arbitramur. Ac licet obligatio reſpectu hominis, injuriam aut vim inferentis, ceſſet, manere tamen Deo factam obligationem; cui & *irreverentia fiat*, ſi quis juramentum admittat, non intendens ſervare; & *injuria*, ſi admiſſum inſuper habeatur. Eadem eſt ſententia *Thomæ Aquinatis 2. 2. qu. 89. art. 3. Ferdin. à Caſtro Palao Oper. Moral. P. III. Diſp. II. pract. 4. Theodor. Thummii, de Juram. p. 89.* ubi ſcrupuloſam quæſtionem appellat *Dn. D. Jäger. de Juram.*

Art. III. qv. 3. B. Oſiandri ad Grot. II, 13. 14. fuſe Joh. Uffelmann. inſigni Tractatu de jure, quo homini in ſermone obligatur, *c. VII. per tot. Joh. Gerhard. Loc. Theol. Thom. III. §. 121. Dannhauer. Colleg. Decal. d. l. Zengrav. Diſſertatione ſingulari: Ziegler. ad Grot. II. 13, 14. Jani Klenkii. Inſtit. Jur. Nat. & Gent. II, 13. 23.* JCtis noſtratibus B. Dn. Lauterbach. *Tract. Synopt. de Juramentis. §. 42. q. 47.* præter Judæos (*l*) ac veteres haud dubiè Germanos qui jusjurandum vi extortum Deo dixerunt diſplicere: Negativam quoque tuentur magni nominis Doctores; gedrungen Eyd iſt GOtt leid/ (*m*) Cicero *Off. III. 29.* qui, ſi *prædonibus*, inquit, *pactum pro capite pretium non attuleris, nulla fraus eſt*: Euripides tragœdia incerta.

— οὐ γὰρ ἀσύνετον
Τὸ Θεῖον, ἀλλ' ἔχει. συνιέναι τοὺς κακῶς
Παγέντας ὅρκους, καὶ κατηναγκασμένους.
Συγγνώμονας τοι τοὺς Θεοὺς εἶναι δοκεῖ
Ἐάν τις ὅρκοις θάνατον ἐκφεύγειν θέλῃ
Ἢ δεσμὸν, ἢ βίαια πολεμίων κακά.
— Non caret ſenſu Deus,
Ut ſcire nequeat, quod Sacramentum dolo
Struatur, aut quod exprimat neceſſitas.
Speranda Deum facilis indulgentia,
Si quis periclum mortis, aut iram hoſtium
Aut dura vincla jurejurando fugit.

E recentioribus videatur acris Vir ingenii Puſendorfius (*n*) & in Jurisprudentia Divina Thomaſius; (*o*) ut & Henniges ad Grotium (*p*) qui etiam ſpecioſis nituntur rationibus. Subtile inprimis id argumentum eſt, præſumendum non eſſe, quod Deus tale juramentum in favorem hominis nequam acceptaverit; cui addunt & hunc nervum: quod Votum per metum factum non obliget: Igitur nec juramentum. Denique juramentum ex optimorum

Mora-

(*l*) Quorum placita rationesque exhibet Miegius, Not. ad Maimonid. §. de Juram. c. III. p. 26. ſeq.

(*m*) Dn. Hert. de Parœmiis Jur. Germ. XXXI, p. m. 449.

(*n*) de J. N. & G. IV. 2, 8.

(*o*) II. 9. 31.

(*p*) Obſerv. II. 13, p. 661. add. Vitriar. Inſtitut. Jur. N. II. 13. & Joh. Jacob. à Ryſſel, de J. N. & G. cap. XVII. §. 16.

Moraliſtarum ſententia novam obligationem non producere; Itaque ſi promiſſio latroni citra juramentum facta non obliget, neque obligare poſſe juratam. Mihi interim certior tutiorque prima eſt ſententia; ob allata jam argumenta, & reverentiam inprimis invocati Divini Numinis, cujus Miſericordiæ, niſi promiſſum præſtet, qui juravit, ſciens volensque renunciavit. Rectè itaque Ciceroni opponitur Cicero: quòd, inquiens, affirmatè quaſi Deo teſte promiſeris, id tenendum eſt. Atqui præſenti in caſu, qui latroni v. c. jurejurando cavit de pecunia, Deum tanquam ſponſorem interpoſuit. Ergò Deo ſe obſtrinxit; quem nemo mendaciter invocabit, niſi qui pecuniam pluris quam contumeliam Divinæ Majeſtati illatam facit. Unde &, ſui forſan oblitus, Tullius laudavit M. Pomponium, Tribunum pleb. qui ſervaverit, quod terrore coactus promiſerat. *Tantum*, inquiens, *temporibus illis jusjurandum valebat.* Quale etiam de Pachio exemplum memoratur, qui captus à Nobili, & dimiſſus ſub pacto jurejurando firmato, de ſolvendis ter mille florenis, jusjurandum maluit ſervare. (q) Atque etſi Deus improbitatem non approbet exigentis, ipſa tamen juramenti ſubſtantia manet integra, quia de Objecto præſtitum eſt ad ſervandum omninò habili, & invocationem Numinis comprehendit, in promiſſionis certitudinem ſuſceptam. Cæterum ſervatio in ſervante paſſionem quandam & malum moleſtum, non turpe involvit. (r) Igitur prius erit ſuſtinendum potius, quam poſterioris incurrendum periculum. Namque nec ſummus Vir diffiteri poteſt, poſſe naſci conſcientiæ ſcrupulos, & ſuadet pecuniam erogare in pauperes. Cæterum à Voto ad juramentum non rectè colligitur. In voto enim opus eſt conſenſu *promiſſarii*, qui nullus circa votum metu extortum. Sed juramentum de re ad ſervandum habili præſtitum, ſi ſervetur Deo ingratum non eſt, quippe qui nomen ſuum non vult capi in vanum. Ac licet juramentum no-

vam

(q) Jo. Manlius in Collectan. pag. 145. add. Jo. Strauber. de Conſc. c. IV. qv. 1. p. 371.

(r) add. Oſtandr. Coll. Syſtem. Loc. XIV. §. 74. p. 382.

vam obligationem per ſe non producere concedatur, obligatio tamen è Lege naturali erit ſufficiens, ne Deum falſitatis teſtem adhibeamus.

XVII.

Perverſa olim, quibusdam in Germaniæ locis, conſuetudo obtinuit: ut etiamſi delictum ſive crimen, apertiſſimis non modo indiciis, ſed & propria ſpontaneaque Reorum confeſſione famaque publica notorium eſſet, nemo tamen, niſi ſeptima *Sacramentalium* manu convictus ad mortem damnari poſſet. Quot enim, ac quanta quæſo ſcelera impunita manſiſſe oportuit, quia raro ſcelus perpetratur, cujus ſeptem eſſe poſſint teſtes, qui ad juramentum queant adſtringi? Rectè igitur eum abolevit morem, qui in ditione Limburgenſi invaluerat, An. 1498. Maximilianus Imperator, hoc ipſo, quod attulimus prægnanti argumento commotus. Ritum vocarunt **beſiebnen** ut & **üb.rſiebnen**/quia ſcil. ſeptem opus erat teſtibus, ut Magiſtratus criminaliter ulciſci ſcelus valeret; Cujus hiſtoriam, allatis in hanc rem idoneis monimentis, accuratè recenſuit, & injuſtitiam ejus demonſtravit, Excellentiſſimus Vir, Joh. Philippus Datt, inſigni Volumine Rerum Germanicarum, (*s*) ſive de Pace Imperii Publica. Et quid opus tot juramentis ubi divina Lex, juſtiſſima? utique & cujus tenorem tuto ſequitur Civilis Legislator, cum numerum non præſcripſit, ſed binarium tenariumvé ſufficere declaravit.

(*s*) L. I. c. 5, §. 76. ſeq.

Add. Num. XXXV. 30. Deut. XVII. 6.
& XIX. 25.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

D. O. M.

PATRI, SERVATORI, SOLATORI

SIT GLORIA IN ÆTERNUM.

Digitized by Google